~~CRA 1278 Da. 31 f. 130ᵛ bis 131ᵛ~~ (4)

15ᵛ

ventibus domorum vinearum iardinorum olivetorum et pos sessionum aliarum necnon et predictarum decimarum vini et olei ad extalium vel ad credenciam constaret fuisse perceptam, nobis super hiis electione servata; ita quod inde curia nostra in aliquo decipi vel circumveniri non possit, omni prorsus alia excomputacione exclusa.

[5.] quibus iudici Peregrino et sociis promisimus, quod a cabella predicta predicti officii secrecie per se pro minori augmento quadringentarum unciarum auri et a cabella predicta salis per se pro minori augmento unciarum auri C infra eundem annum presentis VI. indictionis ammoveri non possent nec deberent post triduum computandum a die, quo dicta concessio eis facta in terris famosis ipsarum parcium subastata fuisset; per que augmenta si eis elapso ipso triduo post eandem subastacionem dicte secrecie per se et a cabella salis per se similiter ammoveri contingeret, habere deberent quintam partem tocius augmenti ad minus pondus curie, ut moris est, pro eorum laboribus et expensis; et de tempore, quo exercuerint cabellam eandem, de perceptis inde proventibus liceret eis, ut moris est, iuxta ritum dictum ad quantitatem temporis vel in credenciam respondere, eis inde eleccione servata; et infra vel ante ipsum triduum predicte subastacionis in ipsis partibus faciende in terris famosis, ut dictum est, per quodcumque augmentum a cabellis ipsis ammoveri possent, semotim a qualibet earundem. et si ante vel infra ipsum triduum ammoverentur, de ipso augmento aliquid non